

Ex Libris
D. Guil. Gesenül.

H. 262.



28. 2.
NOBILISSIMIS DOCTISSIMISQUE
DOM. MAXIMILIANO NAGELIO
ALTORFINO QVAESTORI SVO

DOM. IOH. DANIELI BVRKHARDO
RYDENHVSSENSI CASTELLENSI

ET

DOM. IOHANNI DREYKORNIO
HAPPVURGENSI

PHIL. ET THEOL. CVLTORIBVS ASSIDVIS
AC CONSORTIBVS SVIS AESTVMATISSIMIS

EX ACADEMIA ALTORFINA DISCEDENTIBVS


PRISCAM NARRATIONEM

GRAECE LATINE ET TALMVDICE

SUPERSTITEM

DICAT

SOCIETAS LATINA ALTORFINA.



ALTORFII

LITERIS IOH. ADAMI HESSELI ACADEM. TYPOGR.

DOM. MAXIMILIANO NAGELLO
DOM. JOH. DANIEL BARKHARDT
DOM. JOHANNI BREYKORNIO
EX ACADEMIA ALTORFENSIS DISCEDENTIBUS
GRATIAE LATINE ET FACILITATE
SOCIETAS LATINA ALTORFENSIS





§. I.

Nostis Nobilissimi Doctissimique Domini, Quaestor ac Socii humanissimi, *narrationem*, illam fabulae forem, quam Celebris RAMLERVS *fabulam rationalem* appellat, ueritatem aliquam haud leuem, neque praecise tamen moralem, per ueram aut fictam historiam intuitui quasi obiiicere. Fabula semper aliquid fingit, et ad usum morum applicat; narratio uero etiam uere factum proferre potest, unde aliquid intuitiue discamus et colligamus; et si quod factum hic fingitur, ita tamen fingendum est, ut uere euenire potuisse uideatur. Incidi in eiusmodi narrationem, quae a quibusdam uera historia dicitur; mihi uero *narratio*, siue *fabula rationalis*, esse uidetur. Exstat illa Graece in *uita Aesopi*; exstat in *prosa*, et in *ligata oratione, Latine*; exstat quoque in *additamentis Gemarae Babylonicae*. Exhibebo VOBIS contextum omnium harum specierum, et iudicia quaedam addam. VOS, Nobilissimi Domini, rem aequi bonique consulite; et credite, Societatem Latinam, diligentiam, qua bonas literas et theologiam



giam coluistis, amare, et magni facere; atque optare, ut VOS, et studia VESTRA breui amplis praemiis affecta uideat, quo et in muneribus publicis constituti de aliis bene mereri queatis!

§. 2.

Reperitur haec narratio Graece sub finem uitae Aesopi in editione Neueleti pag. 76 his uerbis: τῶν συνήθων δέ τις αὐτῷ Δαμᾶς τένομα πρὸς αὐτὸν εἰσελθὼν, καὶ ἰδὼν ἔτιωσ ὀλοφυρόμενον, τὴν αἰτίαν τῆ πάθους ἤρετο, καὶ ὡς ἔφη. γυνή τις προσφάτως τὸν ἑαυτῆς ἄνδρα θάψασα, κατ' ἡμέραν ἀπιῶσα πρὸς τὸ μνημῖον, ἐθρῆνει. ἀροτριῶν δέ τις ἐκ πόρῳ τῆ μνήματος, εἰς ἐπιθυμίαν ἤκε τῆς γυναῖκος, καὶ καταλιπὼν τὰς βόας ἦλθε καὶ αὐτὸς πρὸς τὸ μνημα καὶ καθίσας συνεθρῆνει τῇ γυναίκι. τῆς δὲ πυθομένης, τί δήποτε καὶ αὐτὸς ἔτιωσ ὀδύρεται; ὅτι καὶ γὰρ, φησιν, εὐπρεπῆ γυναῖκα καταύρουσα, καὶ ἐπιθὰν κλαύσω, τῆς λύπης κεφίζομαι. ἡ δὲ, κάμει τὰτ' αὐτὸ προσγίνεται. κακῆνος, εἰ τοῖνον τοῖς αὐτοῖς περιπεπτάκαμεν πάθει, τί δήποτε ἀλλήλοις μὴ σύνειμεν; ἐγὼ τε γὰρ Φιλῆσα σε ὡς ἐκείνην, καὶ μὲ σὺ πάλιν ὡς τὸν σαυτῆς ἄνδρα. ταῦτα εἰπίσει τὴν γυναῖκα, καὶ δι' συνήλθον. ἐν τῆτω δὲ κλέπτῃς ἐλθὼν, καὶ τὰς βόας λύσας, ἀπῆλασεν, ὁ δὲ ἐπανελθὼν, καὶ τὰς βόας μὴ εὐρηκὼς, κάπτεδά τε καὶ ὀμώζειν ἰχυρῶς ἐνεστήσατο. ἐλθῶσα δὲ καὶ ἡ γυνή, καὶ ὀλοφυρόμενον εὐρῶσα, φησι, πάλιν κλάεις; κακῆνος, νῦν εἶπεν ἐπ' ἀληθείας κλάϊω.

Ex familiaribus autem ipsius quidam, Damas nomine, ad ipsum ingressus, et uidens eum sic lamentari, causam rei rogauit, et ille ait: mulier quaedam quum recenter suum uirum sepeliuisset, quotidie profecta ad tumulum, plorabat. Arans autem quidam non procul a sepulcro, amore captus est mulieris, et derelictis bobus iuit et ipse ad tumulum, ac sedens una cum muliere plorabat. Quum illa rogaret, curnam

curnam et ipse sic lugeret? Quoniam et ego, inquit, decentem mulierem sepeliui, et posteaquam plorauero, maestitia leuor. Illa autem et mihi id ipsum accidit. Et ille: si igitur in eadem incidimus mala, curnam inuicem non coniungimur? ego etenim amabo te, ut illam, et tu me rursus, ut tuum uirum. His persuasit mulieri, et conuenerunt. Interim autem fur profectus, et boues soluens, abegit. Ille autem reuersus non inuentis bobus, et plangere, et lugere uehementer instituit. Profecta igitur et mulier, et lamentantem inueniens, inquit, iterum ploras? et ille; nunc ait, uero ploro. Vnde apparet simplicem et naturalem hanc narrationem uerum, nec simulatum luctum, indicare.

§. 3.

Alio trahit, et uarie immutat, atque exornat, sed ita, ut a simplicitate narrationis abeat, fabulam rationalem modo prolatam PETRONIVS ARBITER Satyricon cap. CXI seq. *Matrona quaedam, inquit, Epheji tam notae erat pudicitiae, ut uicinarum quoque gentium feminas ad sui spectaculum euocaret. Haec ergo, quum uirum extrulisset, non contenta, uulgari more, funus sparsis prosequi criminibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiae plangere, in conditorium etiam prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo, Graeco more corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusque coepit. Sic adstrictam se, ac mortem inedia persequentem, non parentes potuerunt abducere, non propinqui: magistratus ultimo repulsi abierunt: complorataque singularis exempli femina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat. Adsidebat aegrae fidissima ancilla, simulque et lacrymas commodabat lugenti, et, quoties defecerat, positum in monumento lumen renouabat. Vna igitur in tota ciuitate, fabula erat, et solum illud adfulsisse uerum pudicitiae amorisque exemplum, omnis ordinis homines confitebantur. Quum interim Imperator prouinciae latrones iussit crucibus adfigi, secundum illam casulam, in qua recens cadauer matrona desiebat.*



ma ergo nocte, quum miles, qui cruces seruabat, ne quis ad sepulturam corpora detraberet, notasset sibi et lumen inter monumenta clarus fulgens, et gemitum lugentis audisset, uitio gentis humanae, concupiit scire, quis, aut quid, faceret. Descendit igitur in conditorium, uisaeque pulcherrima muliere, primo, quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus, substitit; deinde, ut et corpus iacentis conspexit, et lacrimas considerauit, faciemque unguibus sectam, ratus scilicet id quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati, attulit in monumentum coenulam suam, coepitque hortari lugentem, ne perseueraret in dolore superuacuo, et nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eundem exitum esse, sed et idem domicilium; et caetera, quibus exulceratae mentes ad sanitatem reuocantur. At illa, ignota consolatione percussa, lacerauit uehementius pectus, ruptosque crines super pectus iacentis imposuit. Nec recessit tamen miles, sed eadem exhortatione tentauit dare mulierculae cibum, donec ancilla, uini certe ab eo odore corrupta, primum ipsa porrexit ad humanitatem inuitantis uictam manum: deinde, refecta portione et cibo, expugnare dominiae pertinaciam coepit, et: quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris? si te uiuam sepelieris? si, antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? Id cineres, aut manes credis sepultos sentire? Vis tu, reuiuiscere, reluctantibus fati, extinctum? uis, discusso muliebri errore, quamdiu licuerit, lucis commodis frui? ipsum te iacentis corpus commouere debet, ut uiuas. Nemo inuitus audit, quum cogitur, aut cibum sumere, aut uiuere. Itaque mulier, aliquot dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam, nec minus auide repleuit se cibo, quam ancilla, quae prior uicta est.

Cap. CXII. Caeterum, scitis quid tentare plerumque soleat humanam satietatem. Quibus blanditiis impetrauerat miles, ut matrona uiuere uellet, iisdem etiam pudicitiam eius aggressus est. Nec deformis, aut infacundus iuuenis castae uidebatur, conciliante gratiam ancilla, ac subinde dicente:

- - Placitone etiam pugnabis amori?

Nec uenit in mentem, quorum confederis aruis?

Quid

Quid diutius moror? ne hanc quidem partem corporis abstinuit, uictorque miles utrumque persuasit; iacuerunt ergo una, non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die; praecclusis uidelicet conditorii foribus, ut si quis ex notis ignotisque ad monumentum uenisset, putasset exspirasse super corpus uiri pudicissimam uxorem. Caeterum delectatus miles et forma et secreto, quidquid boni per facultatem poterat, coemebat, et prima statim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarii unius parentes, ut uiderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem, supremoque mandauerunt officio. At miles circumscriptus dum residet, ut postero die uidit unam sine cadauere crucem; ueritus supplicium, mulieri, quod accidisset, exponit: nec se expectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignauiae suae, commodaret modo illa perituro locum, et fatale conditorium familiari, ac uiro faceret. Mulier non minus misericors, quam pudica: nec istud, inquit, Diu sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem: malo mortuum impendere, quam uiuum occidere. Secundum hanc orationem iubet corpus mariti sui tolli ex arca, atque illi, quae uacabat, cruci adfigi. Usus est miles ingenio prudentissimae feminae; posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem.

§. 4.

Facile apparet, hanc narrationem ex narratione relata Aesopica ortam, et a PETRONIO uarie, et fere nimis amplificatam, et mutatam esse. Non autem ubique eum hoc feliciter egisse, aliis praeteritis, paucis ostendemus. Abiisse recte argui potest PETRONIVS a simplicitate narrationis, atque argutias inculcasse, quas nequidem stilus fatiricus excuset. Huc pertinet illa formula: *quum miles - - et gemitum lugentis audisset, uitio gentis humanae, concupiit scire, quis, aut quid, faceret.* Quod uitium erat militis cadauera cruciariorum custodien-



dientis, attentum esse ad gemitum, et scire uelle, quis, aut cur, eum faceret, quum is a propinquis cruciarii alicuius esse posset, a quibus sibi noctu insidiae fieri poterant? Porro non conuenit sibi PETRONIVS, dum dicit, militem in monumentum coenulam suam attulisse, et cum muliere illa nocte, et postero ac tertio die, praeclusis foribus conditorii iacuisse; ac addit, eum quidquid boni per facultatem potuerit, commisse, et prima statim nocte in monumentum tulisse. Dedit militi, mulieri ope ancillae persuadenti, eamque denique uincenti, tempus ad hocce agendum. Et si de die quod PETRONIVS ait, miles unam uidit sine cadauere crucem, quis credet, rem eam moram tolerasse, ut sequenti demum nocte cadauer prioris mariti feminae Ephesinae in crucem tolli potuerit. Neque hanc mutabilem feminam tam simpliciter matronam notae pudicitiae, et exemplum pudicitiae amorisque usquam uocare debuisset, sed speciem uirtutis apto uerbo eleuare decuisset. Ut breues simus, censemus, admodum suauiter, sed et negligenter PETRONIVM hic narrasse. Ceterum notandum est, secundum PETRONIVM, si narratio haec pro historia habeatur, mulierem uideri sine subsequuta poena hoc scelus mortuo marito fecisse. Subiunxit enim dictis haec: Cap. CXIII. *Risu exceperet fabulam nautae, et erubescere non mediocriter Tryphaena, uultum suum super ceruicem Gitonis amabiliter posuit. At non Lycas risit, sed iratum commouens caput, si iustus, inquit, Imperator fuisset, debuit patris familiae corpus in monumentum referre, mulierem adfigere cruci.* Fabulam autem saepe sermonem significare notum est. Ceterum PETRONIVM hac narratione leuitatem mulierum notare uoluisse clarum est.

§. 5.

Nos quidem nulli dubitamus hanc narrationem rem esse fictam, et ex narratione Aesopica concinnatam. At IOHANNES

SARIS-

✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻

SARISBERIENSIS libro VIII de *nugis curialibus*, cap. XI, pag. 586, testem affert, rem factam, et historiam, esse: *Tu, inquit, historiam, aut fabulam, quod his uerbis refert Petronius, pro libitu appellabis. Ita tamen ex facto accidisse Epheji, et Flavianus autor est, mulieremque tradit impietatis suae, et sceleris parricidalis, et adulterii poenas luisse. De VIRIO autem NICOMACHO FLAVIANO, historico, conferatur VOSSIUS de historicis Latinis libr. III, cap. II, opp. tom. IIII, pag. 234.*

§. 6.

Eandem narrationem poeta quidam, (quem NEVELETVS anonymum, alii ACCIVM, alii ROMVLVM, alii aliter uocant; conf. FABRICII *bibl. Lat.* uolumen alterum p. 318 *seq.* not. (e), apud NEVELETVM *fabula* 48 his elegis expressit:

De milite et femina.

Dum uir et uxor amant, uxorem priuat amato

Parca uiro, nec eam priuat amore uiri.

Coniugis amplectens tumulum, pro coniuge, uexat

Vngue genas, oculos fletibus, ora sono.

Hanc iuuat ipse dolor, nequit hac de sede reuelli

Grandine, feu tenebris, feu prece, siue minis.

Ecce reum damnat iudex; crux horrida punit,

In cruce custodit, tempore noctis, eques.

Hic fitit, ad tumulum uocat hunc et clamor et ignis;

Orat aquae munus, haec dat, et ille bibit.

Aegrum nectareis audet cor inungere uerbis;

Hunc uocat ad primum cura timoris opus.

Sed redit, et dulces monitus intexit amaro

Cordi; uicta subit castra doloris amor.

B

Vir



Vir metuens furem furis, suspendia furis
 Visit, sed uiduam tactus amore petit.
 Hanc ligat amplexu, fructumque ligurit amoris,
 Hinc redit ad furem, sed loca fure caret.
 Hic dolet, hoc questu dolor hic instigat amicam :
 Non bene seruato fure, timore premor.
 Rex mihi seruandum dederat, me regius ensis
 Terret, et extorrem me iubet esse timor.
 Haec ait: inueni, quae spem tibi suscitet, artem;
 Vir meus implebit in cruce furis onus.
 Ista uiri bustum referat, pro fure catenat
 Ipsa uirum, restem subligat ipsa uiro.
 Huic merito succumbit eques; succumbit amori
 Illa nouo, ligat hoc firmus amore. Sola
 Sola premit uiuosque metu, poenaque sepultos
 Femina; femineum nil bene finit opus.

§. 7.

Nobis hic poeta, quisquis is fuerit, perspicuitatem, breuitatem, et morem narrationis probe obseruasse uidetur. Certe uerosimilius canit, militem, quem ipse equitem dicit, nihil ad tumulum attulisse, sed aquam a muliere petisse, quo facto eius animum erga se tentare uoluisse uidetur. Recte quoque canit, militem ad crucem aliquoties rediisse: *hunc uocat ad primum cura timoris opus*; curam hominis custodiae suae ostensurus. Egregie quoque auget culpam mulieris hoc disticho:

Ista uiri bustum referat, pro fure catenat
 Ipsa uirum; restem subligat ipsa uiro.

Id

Id tamen nobis displicet, quod poeta nimis generalem hanc propositionem ex narratione sua deducit: *femineum nil bene finit opus*. Ceterum et hic poeta asseuerat, feminam haud esse punitam, canendo: *Sola premit uiuosque metu*; militem, quem amore sui, terrori regii ensis, aut exilii subiecit; *poer naque sepultos*; mortuum coniugem, quem in *cruce*m egit.

§. 8.


Auctores additamentorum Gemarae crediderunt huius narrationis mentionem etiam in Gemara Babylonica factam esse; sed nobis, qui RASCHII sententiam sequimur, res aliter se habere uidetur. Nimirum in loco Talmudico פקודין fol. 80, 2, in Gemara, postquam antea ibidem dictum fuerat, *hominem non debere queri de iis, quae sibi eueniant, et quod non peccarit*; existant haec uerba: ורצק כי הכוח מעשה דהאיה איחרא והיה עובדא ודפיקתיה; id est: *Magistri dicunt, pertinere huc factum mulieris illius, de qua constat, eam se permisisse ei (luctui).* His Gemarae uerbis auctores additamentorum Gemarae haec adiungunt: פ"ח מעשה צה"ה אחז שהיתה צובה ומתאוונת על קבר בעלה והיה עס אדם אחד שהיה עומד תלוי אחד ונהג לו המלך לשומר וצא אלל האשה ופיתה אותה ושעמה לו ושחזר אלל החלוף לא מלאוהיה מלטער אחד מפקד המלך אמרה לו האשה אל תירא קח צעלי מקצרו ותלבו צעקומו ודפיקתיה לבעלה ותלבו הרי לך שאפילו צעמח חנינות נקוצר יורה עליה.

Id est: Explicat R. Chananael hoc de historia mulieris alicuius, quae fleuit et luxit super sepulcro uiri sui. Fuit autem ibi homo quidam, qui custodiebat suspensum (sive cruci adfixum;) nam iusserat eum rex, ut istum custodiret. Sed accessit ad mulierem, eique persuasit, ut sibi obsequeretur. Quum autem ad cruciarium rediret, non (amplius) inuenit eum. Hinc sollicitus fuit ualde metu regis. Ista autem mulier dixit ei: noli timere; sume maritum meum e sepulcro suo,


et



et suspende pro isto, ac concessit ei uirum suum, et is suspendit illum. En! inde tibi patet, etiam tempore luctus eam uictam esse libidine. Haud caret dotibus, et bona consecutione, haec narratio, et quilibet intelligit, eam ipsam esse, de qua adhuc egimus. Id tamen certum est, in Gemara non esse de hac narratione sermonem. Nam innuitur in loco nostro duntaxat aliqua narratio, quae alibi in Gemara sit relata; sed nostra narratio alibi in Talmude haud exstat. Exstat uero alia narratio in loco מער קטן, fol. 27, 2, ubi referunt, fuisse mulierem, quae septem filios habuerit, et unum eorum mortuum adeo intemperanter defle- rit, ut licet eam dehortatus sit R. HVNA ne id facere pergeret, lugere haud destiterit, ideoque poenae loco septem filios successiue amiserit, et tandem ipsa quoque mortua sit. Vnde uerba Gemarica a nobis citata ad hanc potius narra- tionem spectant, quam ad Aesopicam; quod et RASCHIVS uult. Ceterum narratio nostra Aesopica, exstat etiam dialecto Iudaeorum Germanica in ספר המעשה, num. 108.



M. A. S. R. 1769.





Be 820. ✓

80

ULB Halle

3

003 246 310




1017

2. C.







28. 2

NOBILISSIMIS DOCTISSIMISQVE
DOM. MAXIMILIANO NAGELIO
ALTORFINO QVAESTORI SVO
DOM. IOH. DANIELI BURKHARDO
RYDENHVSSENSI CASTELLENSI
ET
DOM. IOHANNI DREYKORNIO
HAPPVRGENSI
PHIL. ET THEOL. CVLTORIBVS ASSIDVIS
AC CONSORTIBVS SVIS AESTVMATISSIMIS
EX ACADEMIA ALTORFINA DISCEDENTIBVS
PRISCAM NARRATIONEM
GRAECE LATINE ET TALMVDICE
SVPERSTITEM
DICAT
SOCIETAS LATINA ALTORFINA.
ALTORFII
LITERIS IOH. ADAMI HESSELII ACADEM. TYPOGR.